



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

22. Quis Frisiorum Rex Traiectum occuparit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

bellum administrante & post eum Grimoaldo filio testibus Gramaio, Sigeberto, Mirco alijsq; quibus Frisios prævaluisse fors nõ aequum credere. Probabilissimum est occupasse Frisios statim ab obitu Sigeberti Regis, qui contigit circa annum 655. post quem Francorum Reges à solita virtute degenerantes, socordia, luxu, regnum sordidabant, de dignitate Regia, de Maioratu continuè ardebant contentiones, propter Magistratus ambitiones, Ebroini (potius Euerwini) & magistrorum domus insolentias, perpetes flagrarèt discordiæ idque etiam ante annum 670. cui occasione intentis Frisij, haud arduum fuit Traiectum magnamque citerioris Frisiæ partem sibi vendicare, quibus insederunt vsque dum Pipinus Herstallus factus Maior domus Austrasiæ & Franciæ armata manu eos retrocedere cœgit.

DISSERTATIO XXII.

Quis Frisiorum Rex Traiectum occupavit.



T hoc caligine operitur. Heda & Doufa dum aiunt Radbodum occupasse Regiam Traiecti, possunt intelligi id adscribere Radbodo. Nos conformiter ad præcedentem resolutionem malumus adscribere Adgillo Patri Radbodi, quem adhuc in viuis egisse anno 678. disertè edocet Beda agens de S.

Wilfridi in Frisiam eo anno accessu. Argumento nobis est quod Historiæ vnanimiter tradant sacellum à Dagoberto exstructum, non longè post Frisios deiecisse; quod non longè post, cadit potius in Adgillum, quam Radbodum. Heda & Doufa exponi possunt de occupatione detentiu,

L quâ,

quã, scilicet, vi & armis Radbodus contra Francos Regiam tenebat. Deuicta ab Adgillo vrbe, Frisones extirpata Catholica Religione auspicijs Regum Franciæ introducta memoratum templum S. Thomæ solo æquarunt. Cornelius Aurelius in descriptione Episcoporum Traiectensium narrat illud destructum à Danis & Nortmannis: qua præuia authoritate, equidem nescio. Si per Danos & Nortmannos intelligat eos, quorum crebræ vastationes per Belgium describuntur, palam labitur, cum eæ contigerint post S. Willibrordi obitum sub Gregorio tertio Traiectensium Episcopo, & deinceps. Ut verò Aurelium excusamus (nam excuso potius cum possum quam accuso) non vsque erit absurdum cogitare Frisios in occupando Traiecto contra vires Francorum Danos & Nortmannos vicinos in auxilium vocasse, prout Barbari isti non semel cõmuni- bus armis Francis bella mouerunt.

Quod ad Adgillum attinet, vir fuit admodum mitis erga S. Wilfridum Eboracensi sede pulsum, quem in Frisiam venientem honorificè excepit, libenter audiuit, ei liberam prædicationem & baptismum per ditiones suas permisit. Quinimo firmam cum eo amicitiam coluit: cum enim Ebroinus Franciæ Tyrannus Anglorum instinctu litteris, etiam auro oblato, ab eo postularet Wilfridum necari aut è regione fugari, Adgillus lectas audiente Wilfrido litteras proiecit in ignem, addens, sic ardeat qui pacem cum amico initam pro auri cupiditate dissoluit. Finis vitæ ei fuit anno 679. aut 680. successorem reliquit Radbodum filium, qui dein per quadraginta annos Francorum arma exercuit.

Supposuimus hactenus Adgillum & Radbodum veros fuisse Frisiæ Reges; nunc id ipsum exactius est perpendendum, & sit.